76.

D. C.

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

DELICTIS CARNIS

Quam

Decreto Nobilissimi JCtorum ordinis

In illustri Salana

SUB PRÆSIDIO

Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi atq; Consultissimi

DN. ERASMI UNGEPAUER

JCti famigeratissimi, Consiliarii Saxonici & Facultatis Juridicæ Ordinarii meritissimi, Curiæ Provincialis & Scabinatus Assessoris gravissimi, Dn. Patroni, Promotoris atq; Præceptoris sui honoratissimi

PRO LICENTIA

Summos in UTROQUE JURE honores, privilegia & insigniariè consequendi

Publicæ Eruditorum examini submittit

MATTHIAS Kratz/ Cameræ Electoral. Brandenb. Advocatus

In Auditorio Juridico

d. *12.* Decembr.

JENÆ

Typis CASPARI FREYSCHMIDII

ANNO M. DC. IL.

PLURIMUM REVERENDO, GENEROSO, MAGNIFICO MAXIMEQUE STRENUO.

DN. CONRADO à BURGSTORF, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECT. BRANDENB. &c. &c.

Camerario ſupremo, Conſiliario intimo, Fortalitiorum univerſorum Electoratus Brandenburgici Præfecto ſupremo, Ordinis Equitum S. Johannis primario & Commendatori in Lagow / Hæreditario in Goldbeck / Greimagenow / Manschnow ꝛc.

Dn. Patrono & Promotori
ſuo ſummè venerando

Hancce Diſput. Inaugur.
Strenæ loco

D. & O.

MATTHIAS Kratz /
Autor & Reſpondens.

Atq; *Viadrina est testis*, quâ Marchia gaudet,
quæ Schola Musarum, quæ Charitumq; viget.
Hæ te viderunt longum impallescere libris,
nimirum Sophicis Juridicisq;, *Schola*.
In media summos ambis *Doctoru honores*,
jam pridem Musæ quos meruêre tuæ.
Tantos de fido tibi pectore grator *honores*:
Doctorem tantum te patriæq; tuæ.
Ut novus hic titulus majoris janua honoris
contingat, *calido pectore & ore precor*.

Clariss.
Dno Doctorando,
Charill.
Dno Affini & Fautori
meo L. M. Q.
apponebam

M. ADRIANUS Beier/
Eccl. Jenensis ' rem.
Diaconus.

ERectum marmor vultum referebat ovantis,
Cingebant vittæ & digna corolla caput,
More triumphantis patriam remeabat in urbem,
In ludis qui ter victor Olympiacis.
In Castris Themidos, tua, Cr tzi fautor amande,
Endemum vinci nescia signa nitent;
Jam te victorem video partasq; corollas,
Digne donatus queis patriam repetis.
Quæ non incerto fluxu memoranda sequentur
Marmoreis statuis tradere fama parat.

Ince-

Inceptis adsit Numen, quod cuncta gubernat;
Votivis verbis optat, Amice, Tuus.

Qui hæc celeri calamo fudit
David Cuselius Primislav. March.

Ad præ-Eximium & Clarissimum, DN. Doctorandum de CARNIS DELICTIS disputantem.

VAH Superos! hæc illa Caro est? hæc illa petulca,
Hæc immorigera, hæc turbida massa Caro?
Hæc ea quam trahimus sociam? quam molle fovemus?
Cui Tamesis lanas, serica Persa vehit.
Cui Phasis transmittit aves, Olindaq; cannas
Excoquit, & vinum Massica rura liquant.
O per te putridis nigrarum digna teneri
Eumenidum stabulis, putida massa Caro!
Non uno damnanda rogo: cum mille figuris
Limina transilias pervariesq; nefas.
En tibi (nil parvum est) incesti Tereos œstros,
Semivirosq; boves, semibovesq; viros.
Quicquid & in gnatum furibunda Semiramis ausa,
Angui comæ facies Gorgonis unde stetit:
Quid soror atq; marita Jovis: nec fabula cuncta
Fabula, cui lucem suggerit ipsa dies.
Horreo dicturiens leves Ganymedis amores,
Quid pathicus puer, & quid catamitus erit:
Quid fricatrix, quid drauctus erat Sporusq; Neroni
Quidq; de auratis cornibus illa capra.
Quæ DEUS & divus codex, ceu muta, silemus,
Dicere quod fas est CRATZIUS omne dabit.
Hujus doctiloquam ne spernas nosse papyrum,
Hinc oculis pravæ carnis iniqua vide.

fudit
Heinricus Schævius Chilon.
Hols. P.L. ac Philiater.

FINIS.

I. N. D. N. J. C.

Caput Primum
DE ADULTERIO.

INTER Carnis delicta primum ac principem ſibi locum vendicat adulterium. Hoc quam ſit grave, impium & execrandum nullus unquam hominum verbis aſſequi poteſt. Turbat enim honorem matrimonii, & famam liberorum qua decus gentilitium conſiſtit *Nov. 22. in pr. Joſeph. Maſcard. in Tract. de Probat. Concl. 57. n. 1. vol. 1.* Moyſes vocat peccatum quod hominem & terram polluit. *Lev.* 18. aliisq; ſceleribus conjunctum eſt, ſiquidem adulter perfidus fit Domino, conjugi & Eccleſiæ *Proverb. 2.* Vnde nullum adulterio gravius peccatum c. *quid in omnibus. 22. q. 7. C. quod ubi gl. 33. q. 2. C. criminis. diſt. 25. gl. Bart. & Accurſ. in rubr. ad L. Jul. de Adult. Franciſcus Vivius lib. 1. Deciſ. 122. n. 2. & 13.* Omne enim peccatũ extra corpus niſi fornicatio 1. *Corinth. 6. verſ. 18. gl. d. loco.* Quædam (*inquit Accurſus, ſic dictus ut ipſe gloriatur quod accurrat & ſuccurrat contra tenebras juris Civilis, in l. auxilium ff. de minorib.*) Crimina atrocia ſunt, quædam atrociora, quædam atrociſſima ut adulterium, quod tam ægre fert maritus ut moleſtius patiatur quam proprii filii mortem *l. Lucius Titius 88. §. 16. verſic. ſed & alius ibiq; Bald. ff. de Leg. 2.* quem tamen parens plus diligit quam ſe ipſum *l. iſti quidem §. fin. & ibi gl. reddit rationem ff. quod metus Cauſa Nobiliſſ. atq; Magnificus Dn. Arnoldus de Reyger*

p.m. Vice-Cancellarius Marcb meritissimus in Thesaur. Juris L.F. versic. Filius & Flia 223. vide Johann. Harprecht. ad. §. 4. J. de Pub. Judic. n. 2. Ægid. Boss. de Coit. damnab. & punib. n. 44. & *seqq Prosp Farinac. in pract. Crim. lib. 5. tit. 16. quæst.* 141. *n.3. & seq. Johann. Coras. 2. Miscell. 1. n. 2.* Lubentiusq; audit mulierem interfici quam pollui *Hieron. in Amos. cap. 8.* Prudenter hæc attendens Lodovicus Francorum Rex infirmatus ad mortem, cui suadebant Medici, sanari posse si aliquam cognovisset mulierem, eo quod uxorem suam præsentem non habeтet, respondisse fertur mori se potius quam fidem semel datam suæ uxori violare velle, ut refert *Francisc. Vivius lib. 1. Decis 323. n. 19.* Est profectò adeò detestabile atq; abominandum hoc crimen, ut bruta istud animantia quoq; abhorrere & fugere dicantur. De Ciconijs refert *ex Guilhelmo Paris Jodoc. Dambouder in Pract. Crim. cap.* 91. *n.*99. suo tempore ciconiam adulterio junctam per Olefactum masculi cognitam, congregata ab ipso masculo multitudine ciconiarum ac detecto crimine fœmellæ illam ab omni multitudine ceu convictam damnatamq; deplumatam dilaceratamq; fuisse.

§. 1. Diximus nullum crimen adulterio esse gravius. Nulla tamen aliorum facinorum speciali collatione facta. Non enim negare ausim quin parricidium, homicidium, & crimen Sodomiæ (quo ipso societas quæ nobis cum Deo esse debet violatur *Iohann. Coras. 2. Misc. 1. n. 2.*) atrocitate vincant adulterium. Statutum namq; non valet per quod pro homicidio ingeritur pœna pecuniaria *Hip. de Marsil. in l. 1. n. 19. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* quod enim pecunia redimi pt. non timetur, & grande scelus non videtur quod nummis redimi pt. *C. pauper. 11. q. 3.* Secus tamen est in adulterio. Statutum enim pecuniariam pœnam imponens, *secundum Tiber. Decian. in Tract. Crim. Lib. 2. c. 34. n. 24. cum seq.* omnino valet. Quin imo expresse inter minora crimina numeratur adulterium *in cap 4. §. de adulteriis Extr. de judic.* Rationem habet *Lucas de penna in l. mulieres C. de incol. lib 10. & Bald. in d. Cap.* 4. quia sc. ad id facinus proclives impellente natura sumus.

§. 2. Dictus igitus C. *quid in omnibus* ad solam exag-

gera-

gerationem more Rhetorum factam pertinet *Petr. Gilken. in l. transigere 18. C. de transact. n. 10. Heinric. Bocer. in tract. de Adulterio cap. 3. n. 34. cum seq.* Quod attinet text. *in l. Lutius Titius 58 §. 16. ff. de Leg. 2.* Respondeo scelerum gravitatem non ex opinione hominum, seu affectione cujusdam privati æstimandam *arg. l. pretia rerum ff. ad L. Falcid. & l. si servum ff. ad. L. Aquiliam vid. Gilken & Bocer. d. d. ll.*

§. 3. Vindicatur autem adulterium Lege Julia de Adulteriis. Quæ lexa D. Augusto lata est *l. 1. ff. ad L. Jul. de Adulter. Magnific. Dn. Præses, Patronus, Promotor atq; Præceptor meus multis honorum titulis prosequendus Exercit. Iustin. ult. th. 9. in Ajo.* Et hic Julius etiam dictus est, utpote â Julio Cæsare adoptatus.

§. 4. Est autem adulterium thori alieni violatio *§. item lex Julia 4. J. de public. Iudic. l. 6. § 1. ff. ad L. Iul. de adulter l. 120. ff. de V. S. c. lex illa 36. q. 1. c. non mœchaberis. 32. q. 5.*

§. 5. Et quamvis de jure civili solummodo ex fœmina indistincte cum quovis rem habente *l. 27. C. h. t.* ob sobolis certitudinem, non item ex mare congrediente sc. cum soluta æstimetur *d. l. 6. §. 1. l. 34. ff. h. t. Bachov. ad Wesenbec. παρ. ff. h. t. n. 3. Dn. Anton. Perez. in prælect. C. h. t. Iul. Clar. §. adulterium n. 2.* quia thorum non dicitur violare *Dn Arnold. de Reyger in Thesaur. Iuris L. A. versu. Adulterium 97. & seq. Heinric. Bocer. d. loco n. 18.* cum (teste *Matth. Stephani ad const. crim. Carol. V. artic.* 120. respiciendum sit ad personam patientem non agentem: Secus tamen est de jure Divino & Canonico, quod enim mulieri prohibitum est viro impune non licebit. *d. c. non mœchaberis 32. q. 4. Dn. Bened. Carpzov. in prax. Crim. p. 2. q. 52. n. 49. usq; ad 61. Schotan. in Exam. Iuridic. hic.*

§. 6. Tribus verò modis adulterium committitur I. modus est quando conjugatus cum uxore aliena concumbit, quem coitum adulterium duplex, (Germ. Oberhurerey) vocant. *Magnific. Dn. Doct. Köppen p. m. ViceCancellarius olim March. meritissimus Decis. Consuetud. Marchic. p. 4. tit. 11. Lit. L. Matth. Berlich. p. 4. Cond. 27. n. 7.* quia uterq; ipsorum thorum alienum fœdat & proprium violat. *Julius Clarus*

lib.5. sent. § *Adulterium n. 2. Matth. Stephani ad Const. Crim. Carol. V. artic. 120.*

§. 7. II. Modus est quando solutus cum uxore aliena venereum exercet concubitum *Joachim. à Beust. in tract. Connub. p. 2. cap.* 17. *versic. quando cœlebs Petr. Heig. quest. 29. & seq. n. 2. Coler. Decis. 176. n. 10. p. 1. Matth. Stephani d. loco Joann. Althus. in* Dicæolog *lib. cap. 126. n. 5.*

§. 8. III. Modus est quando conjugatus se commiscet cum soluta *vid. Johann. Gœdd. ad l. inter stuprum* 101. *n. 10. ff. de V. S. Ludovic. Roman. Singul* 674

§. 9. Dixi adulterium esse thori alieni violationem, quæ verba omninò cum effectu sunt accipienda. Nam solo conatu etiam ad actum pvoximum perveniente adulterium non committitur. Statuta enim punientia delicta intelliguntur de consummatis. *Hieron. Cuchalon. ad Comment. Decis. in. l. non vult. hæres esse ff de Reg. Juris.* (Secus tn. se res habet si attendamus jus divinum!) Injuriatum tn. judicio vel extraordinem omnino punitur *l. 9. ff. de injuriis. Matth. Wesenbec. in παρ. ad L. Jul. de Adulter. n. 1. l. 1. pr. de Extraordin. Crim. Hieron. Treutl. vol. 2. disp. 32. Th. 2. L. C. Hieron. Cuchalon. d. loco.*

§. 10. An in sponsam alienam adulterium committatur inter Dd. controvertitur? *Affirm. per text. in l. 7. C. h. t.* Cum nec matrimonium qualecunq; neq; spem matrimonii liceat violare. *l. 13. §. 3 ff. h. t.* Probatur quoq; hæc sententia ex Jure divino *Matth. 1. versic. 20. ibi. Joseph fili David noli timere accipere mariam conjugem tuam. Deutr. 22. versic. 24.* ubi dicitur: *si quis sponsam alienam violaverit, morte morietur Magnif. Dn. Doct. Johann. Koppen p. m. ICtus Præcellentissimus Dec. 1. Enucl. 4. n. 24.* Hinc sponsi filiarum Lothi vocantur generi ipsius. *Gen. 19. vers. 14.* Accedit quod sponsa non solum in favorabilibus habeatur pro uxore *l. 74. ff. de jure dotium l. 5. C. de bon. quæ liber.* Sed etiam in delictis & pœnalibus *d. l. 7. l. 4. ff. ad L. Pomp. de Parrid. Wesenbec. in παρ. h. t. n. 7. Treutl. vol. 2. disp. 32. th. 2. L. B.* Et vindicatur hoc delictum in sponsam alienam commissum non quidem verbis

legis

legis, sed sententia *Dn. Doct. Riemer Dec. ult. q. 1.* Non ex lege Julia, sed rescripto Severi *Dom. Arum. Disp. Pand. ult. th. 7.* Quamvis hodie pœna mitior decernatur. In pœnalibus enim verba propriè sunt accipienda *l. 8. § 1. ff. de pœnis.* Non autem adulterium proprie loquendo est tali casu, quia non violatur thorus alienus seu aliena mater familias, nec spurii pro legitimis inferuntur alterius familiæ *Theod. Petreus Concl. Crim. 91. Bachov. d. loco Th. 2. L. E. Colleg. Argent. Juridic hic n. 4.* Et ita Scabinos Ligisenses anno 1588. judicasse refert *Schultz in Synnops. J. de public. Judic.* Idem est in sponso rem habente cum aliena muliere soluta, nam pœna relegationis & fastigationis, nisi ei sponsa ignoscere velit, affici debet. Ita pronunciarunt Scabini Wittenbergenses test. *Matth. Coler. decis. 176. n. 85.*

§ 11. Adulterium quoq; in meretricem committi dubio procul verior est opinio. Sed ita demum si vitam priorem reliquit & iam honestam ad exemplum cæterarum matrum familias agit *Dn. Joachim. Scheplitz. p. m. ad Consuetud. Brandenb. p. 1. tit. 2. §. 6. n. 2. Julius Clarus §. adulterium n. 3. Joann. Gœdd. ad l. pronunciatum 46. §. 1. n. 5. d. V. S.* Cæterum quando illa perseverat in meretricia sua anteacta vita adulterium cessat. *l. si ea 22 C. ad L. Jul. de Adulter. Scheplitz. p. m d loco.* & communem dicit hanc opinionem *Julius Clarus d. loco Ludovic. Gilbaus in arb. Judic. Crim. cap. 2. tit. 18. n. 13.* Finge diu absente marito eam moræ impatientem non Penelopes tela texere sed quibusvis se prostituere, vel a marito profugam hinc inde vagari & corpore quæstum facere. *Petr. Heig. lib. 2. quæst. 29. n 6* Violasse enim thorum non videtur ubi est nullus pudor & respectus; sed promiscua & vulgaris turpitudo; quia matrē familias neq; nuptiæ neq; natales facūt sed boni mores *d. l.* pronunciatum & ibi *Joann. Gœdd. n. 4. Dn. Arnold. de Reyger. in Thes. Juris L. M. versic. de Matre. & Noverc. pr.* Et ita Lipsenses & Wittebergenses cōsentiētibus votis decrevisse, eum sc. qui cum meretrice nupta & meretricio more vivente rem habuisset, non adulterii pœnâ, sed mitiori, puta cæsione virgarum & relegatione punien-

dum esse refert *Petr. Heig. d. loco n.* 30. *Coler. part.* 1. *Decis.* 176. *n.* 8. *Ludovic. Gilhaus. in arb. Judic. Crim. cap.* 2. *tit.* 18. *n.* 13. Quoad se tamen semper committit adulterium continuando pristinos mores *Neviz. in Sylv Nupt. lib* 1. *sub. n.* 145. *Schepplitz d. loco. Dn. Petr. Theodoric. p. m. in Colleg. Crim. Disp.* 6. *th.* 2. *L. G.* & capite omnino plectatur *Dn. Sigismund.* Finckelthaus *p. m. obs.* 5. *n.* 20. *ubi sic pronunciatum fuisse testatur Matth. Berlich. p.* 4 *concl.* 27. *n.* 48. Nec enim impudica vita uxoris injuriam maritali thoro factam lenit; sed exasperat. *Matth. Wesenbec. d. loco.*

§. 12. Duas uxores uno eodemq; tempore ducens non adulterium jure civili; sed stuprum committit. *arg. l.* 18. *C. h. t.* Pœna enim stupri afficitur, nimirum fustigatione. *Wesenbec. in παρ ff. h. t. n.* 8. *& ibi Bachov. Dn. Carpzov in Prax Crim. p.* 2. *quæst.* 66. *n.* 22. Aliud tamen sancitum reperimus in *Constit. Crim. Carol. V. artic.* 121. *Hunnius ad Treutl. d. disp.* 32. *th.* 3. *pr.* Sive igitur solutam vel ligatam, sive solutum vel ligatum quis quæve superinducat matrimonium reipsa dupliciter contrahendo tam in mare quã in muliere capitale est *Dn. Bernhard Zieriz & Matth. Stephan. ad d. artic.* 121.

§. 13. Notandum autem hic ut quis de hoc crimine capitali supplicio afficiatur illud dolo malo perpetratum requiri *Constit. Crim. Carol. V. d artic.* 121. *ibi*, betrieglicher weise/ mit Wissen und Willen. *Matth. Wesenbec. in παρ. ff. ad L. Jul. de adulter. n.* 14. *Hieron. Treutl. d. disp.* 32. *th.* 3. *L. A. Matth. Stephan. ad d. artic.* 121. Igitur si conjux similitudine formæ congugis decepta alium præter virum admisit *L. Jul.* pœna locum non habet. Et ita Tholosiæ agitatum judicium [*Vid. Petr. Greg. Tholos.*] de quodam marito Guerre, qui in nuptias absentis mariti irrepserat, usq; adeo marito vero per omnia similis, ut non nisi redeunde a bello marito & ægre agnito, fraus detecta fuerit, animadversione facta in dictum Guerre. Item si vel vir vel uxor putans conjugem suam decessisse, elapso legitimo tempore, nuptias iteravit, is cave ab hac pœna excusatur.

§. 14. Dein-

§. 14. Deinde requiritur ut sit perfectum per verba in *artic. 121.* vollbringet. quæ verba secundum *Remum hic & Matth. Stephani* exaudiri debent de debito reddito, sive de commixtione reali non etiam de festivitate nuptiali aut deductione in templum.

§. 15. Antequam de pœna ordinaria hujus delicti agam, placet quædam de ejus probatione præmittere. Et quia hoc crimen plerunq; fit abdite & occulte *l. consensu* C. *de repud.* difficillime igitur probationis est *Bart. in. l. 2.* C. *ad L. Jul. de adulter. in fin. Marsil. in rubr.* C. *de probat. n. 10. Jul. Clar. §. Adulterium n. 16. Prosp. Farinac. p. 4. oper. Crim. lib. 1. Consf. 58. n. 1. Francisc. Vivius lib. 1. Decis. 122. n. 8. Polyd. Rip. in tract de noct. temp. cap. 36. n. 2.* Hinc fit ut si testes deponant vidisse complexu venereo junctos, vel etiam juvenem vidisse, in camera dispectoratum & caligis dissolutis janua verò clausa blandis lascivisq; verbis vel tactu mammillarum vel pudendorum osculantes, non necessario probetur adulterium fuisse commissum. *Joseph. Mascard. in tract. de probat. concl. 57, n. 2. vol. 1.* Proindeq; ad ordinariam adulterii pœnam non sufficere ea recte sentit *Heinric. Bocerus in tract. de adulter. cap 4. n. 19. idem in tract. de quæst. & tort. cap. 3. n. 102. Prosp. Farinac. in pract. crim. lib 5. tit. 18. q. 136. n. 19. Dissentit Francisc. Vivius Decis. 241. n. 15.* ubi concludit facile firmiter manifestum adulterium, si quis reperiatur cum muliere in loco secreto ibi confabulando vel apponendo manus in mammillas vel osculando &c. Ast istæc Vivii sententia adeo firma non est, ut ille jactitat, quin facile infringi queat, Nam ex hoc potius probatur conatus quâ consummatio delicti *Jul. Clarus d. loco. Dn. Anton. Perez. in Pralect.* C. *b. t. n. 39.*

§. 16. Deinde in pœnalibus nemo debet ex præsumtionibus condemnari *l. 34. C. ad L. Iul. de Adulter. l. milites §. 1.* C. *de quæstion. l. qui sententiam 16.* C. *de pœnis l. absentem 5. & ibi Gothofr. ff de pœnis Ioann. Petr. de Ferrar. in sua Pract. p. m. 525. n 2. Hieron. Treut. vol 2. Disp. 31. th. 5. L. A. Ias. l. ut vim. 3. n. 13. ff. de Iust. & Iur.* Sed requiruntur probationes luce

meridia-

meridiana clariores cum de hominis vita agatur *l. ult.* C. *de probat. Magnific. Dn. Doct. Iohann. Koppen.p.m. ICtus* Celeberrimus *Dec.*1. Enucl. *8. n.*13. *Andr. Gail.*2. *observ*- 13. *n.* 5. Excell. *Dn. Doct. Georg. Adamus* Struve *ICtus Celeberrimus, Praeceptor meus honoratissimus* Exercit. 2. *th.*10 *Vmmius disp. ad processi. Iudic.*15. *th.*4.*n.*4. Petr. *Gilcken. ad d. l. ult.* C. *de probat. Ioann. Emericus à Rosbach. in process.* Civilis *tit.* 53. *n.* 22. & *process. Crim. tit.*5. *cap.* 11. *n.*3. *Ioachim. Mynsing. Cent.*5. *Obs.*33. Descendam, inquit Dominus & videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint. Dixit enim videbo tanquam judex non tanquam Deus, ita, *teste Ioann.* Emerico *à Rosbach. d. loco n.* 31 & *seq.* intelligunt omnes. Scilicet ut nobis exemplum daret ne præcipites in discutiendis & judicandis negotiis essemus, nec mala proximorum quisquam præsumat credere quam probare. Et ita ne temere indiligenterq; probata indiscussa quoquo modo judicemus *c. Deus omnipotens.* 2. *quæst.* 1. *Ioann.* Corasius *Miscell.*4. *c.*20.*n.*11. Accedit quod judex potius in dubio sequi debeat misericordiam & æquilatem quã rigorem. Melius enim est redargui de misecordia quam de crudelitate multoq; salutarius est de innocentia quærere quam de vindicta *Magnific. Dn. Doct. Ioann. Köpp. d. loco.*

§. 17. Requiritur ergò ut in ipsa turpitudine, seu ut Græci loquuntur ἐν ἔργῳ deprehendantur, ut habent verba *l.* 23. *ff. ad L. Iul. de Adulter. l.* 29. *ff. h. t. Nov.* 117. *cap.* 8. *versu si de adulterio ibi : Si accusatio ejusmodi vera ostenditur.*

§ 18. Et quamvis ut dictum adulterium dificillimæ sit probationis, præsumtiones verò & conjecturæ in iis quæ difficilem habent probationem sufficiant; Aliter tamen se res habet in adulterio. Fateor equidem admitti præsumtiones tales tamen quæ à natura & lege receptæ sunt Prosp. *Farinac. d. loco n.* 23. *in fin.* V. C si maritus tanta corporis valetudine & senectutis imbecillitate laboret ut conjugale debitum certo præstare non putuerit, ipsa tamen interim gravida facta fuerit *l. filium* 6. *ff. de his qui sui vel alieni juris sunt Francisc. Vivius lib.* 2. *Decis.* 241. *n.* 10. & *seq.* Petr. *Gilicken. ad l. non nudis* 14. *C. de probat. ubi inquit certo definiri non posse quandoo quis dicatur*

in eâ

in ea esse valetudine ut ad procreationem amplius aptus non sit, sed rem judicio Medicorum & Philosophorum relinquendam Dn. Fridericus Pruckman verò vol. 1. consil. 50. n. 5. & n. 2. ut quis dicatur ineptus ad generandum: sufficere putat probasse se agere quinquagesimum annum. Verum contra l. si pater familias §. in arrogationibus ff. d. adopt. ubi minor sexaginta annis adrogare prohibetur, ideo quia magis liberorum procreationi studere debet.

§. 19. Loco veræ probationis quoq; succedit hæc præsumtio si maritus elapso jam anno abfuerit & domum reversus uxorem prægnantem repererit. At verò osculum nec a rei natura nec â lege pro urgenti conjecturâ admittitur; Nec igitur ab homine admittenda est. Nulla namq; ratio evidens id suadet *Ludovic. Gilhaus. in arb. judic. Crim. cap. 2. tit. 18. n. 16.* Exemplo igitur perniciosum esset hominem condemnare. Cum nec ex urgentissimis indiciis condemnari quẽ constet *ex l. 16. C. de pœnis.* Satius enim est impunitum relinquere facinus nocentis quam innocentem condemnare *l. 5. pr. ff. de pœnis*

§. 20. Lepidum sane illud est quod Presbyter olim alterius uxorem deosculans præsumebatur id fecisse non causa adulterium committendi, sed potius causa imprimendæ benedictionis vel ad pœnitentiam exhortandi *Alex. in l. 1. ff. var. & extraord. Crim. gl. in* C. *absit* 11. *q.* 3. D*n. Arnoldq de Reyger. in suo Thesauro Juris Lit.* C. *versic.* Clericus 294 *Theor. Petreus Concl. Crim.* 92. L. *A.* Sed hodie tantum fidei non habent, idq; forsan propter eorum male servatam fidem. Non obstat *d. c. absit. 11. q. 3.* qui vult ne quicquam sinistrum arbitremur de ministris Dei. Resp. *Heinricus Bocerus in tract. de quæst. & tort. cap. 3. n 110. in fin.*

§. 21. Sed ut ad rem, â qua præter intentionem, digressi simus, redeamus. Requiritur igitur ut plenariè probetur adulterium ut testes deponant vidisse (quia cortinati testes, ut loquuntur Dd. in Criminalibus non admittuntur *Prosp. Farinac. Oper. Crim. p. 4. lib. 1. Consil 50 n. 13.*] hominem supra mulierem, & quidem in actu venereo. Quibus verbis omissis nihil probant. Cum fieri etiam posset ut cum illa

rem non haberet *Marsil. Conf.* 1. *n.* 47. *Heinric. Bocer. d. loco n.* 104. *Ludovic. Gilhaus. in Arb. Judic. Crim. cap.* 6. *p.* 1. §. 8. *n.* 8. Vel quia alter potuisset esse impotens vel mulier ita arcta ut ei seras reserare non possit vir, quâ de re obstetrices dignoscere jubentur inspecti prudenter ea parte quâ mulier est *Cap. pen. & ult. Extr. de Frigid. & Malefic.* Temere tamen eis credendum non est cum earum oculi manusq; sæpe fallantur.

§. 22. Unum circa testes notandum, quod ex hoc non dicantur singulares quia forsan unus post alium viderit per rimulam, sed simul vidisse intelliguntur *gl. in. C. nihilominus.* 3. *quæst.* 9. *Alber. in l. testium n.* 9. *C. de testib. Joann. Baptist. Bajard. in addit ad Clar.* §. *adulterium n.* 137. Quia ubicunq; ordo vel vicissitudo facti non permittit aliquid fieri simul, sed successivè illud dicitur fieri simul. *l. antiquiss si pars hæredit.* Adeo ut probent etiamsi testis unus asserat admissum uno die vel uno loco & alius alia die & loco *Josephus Mascardus de probat. Concl.* 65. *n.* 1. *vol.* 1. ubi hanc habet rationem: quia adulterium solet iterari & repeti.

§. 23. Non tamen ego negarim in suspicionem criminis incidere mulierem quæ amplexibus osculisq; (hoc tamen non procedit apud Gallos, *Farinac. teste*, hi enim confisi de honestate mulierum suarum semper arbitrantur eas osculari causa bonæ & honestæ amicitiæ) virorum utitur, inhonestos tactus sponte patitur, & contra mariti voluntatem in conviviis conversatur vel foris pernoctat. *Dn. Anton. Perez. in Prælect. C. d. loco n.* 40. Mala enim conversatio est malæ actionis indicium, *Ioann. Emeric. à Rosbach. in Process. Crim. tit.* 5. *cap.* 4. Et pudicæ esse, refert ex *Dion. Cass lib.* 37. *Petr. Greg. Syntag. lib.* 36. *cap.* 6. *n.* 7. non modo ut nequit peccet, sed ut nec suspicionem turpem de se præbeat. *Vid. Magnific. Dn. Doct. Ioann. Köppen. p. m. ICtus celebratissimus Dec.* 3. *Ennucl.* 2. *n.* 80. ubi refert ex *Rol. Val. Consil.* 2. & 12. *vol.* 1. quod propter vitam thoro maritali non convenientē possit fieri separatio *Heinric. Bocer. d loco n.* 65. ubi refert ex *Polydor. Rip. tract. de noctur - tempor. cap.* 36. *n.* 27. *cum seqq.* quod sola pernoctatio

tio

tio fine confenfu viri fufficiat ad condemnationem in extraordinariam pœnam. Sed hæc ita fi apud conjunctos viliores non verò parentes & nobiliores, pernoctet *gl. in l.8 § vis quoq; verb. foris C. de repud.*

§ 24. Eft & illud indicium verifimile, fi uxor aliena vifa fit cum mare quodam non fuo marito fimul ingredi cameram & ipfa mulier quodam intervallo facie rubicunda & capillis diffolutis ex eo conclavi rurfus egredi vifa: Nifi hujus rei alia caufa probabilis oftenfa fuerit. *Ioann. Baptift. Ferrar. Confil.* 389. *Profp. Farinac. Oper. Crim. part.* 4. *lib.* 1. *confil.* 38. *n.* 7.

§. 25. Idem dicendum fi mas quidam & uxor aliena in conclave quoddam foli ingrediantur, & poft ingreffum ftrepitus aliquis actui venereo non abfimilis audiatur. *Ioseph. Mascard. de probat. Concl.* 62. *n.* 1. & 2. *vol.* 1.

§. 26. Quid verò de ea dicendum, quam juvenes de die ac nocte vifitant? Certe orare pater nofter, feu ut loquitur *Profp. Farinac.* caufa faciendi pœnitentiam vel delendi peccata veniffe non præfumitur, præfertim fi fint fcholares, ut ait *Bald. in l. neq; natales C. de probat. Petr. Greg. Syntag. juris univerf. lib.* 36. *cap.* 12. *n.* 17. Honefta enim conjux aliena ut diurnum fic & nocturnum maxime furtivum & clanculárium ad fe aditum virorum non patitur *Vid. Franfc. Vivium lib.* 1. *Decif.* 122. *n.* 9. *Heinric. Bocer. in tract. de quaft. & tort. cap.* 3. *n.* 112.

§. 27. Et fiquidem maritus illi quem de adulterio cum uxore fufpectum habet, adhibitis honeftæ opinionis teftibus, fcripto ter denunciaverit, ut â Colloquio & converfatione uxoris occulta & furtiva abftineat, ipfe verò furtivos aditus ad eam non evitet, non poteft nō incidere in fufpicionem criminis *Novell.* 117. *cap. ult.* & *ibi Gothofr.* imo ex hoc folo poffe illum pœnæ adulterii fubjici, patet ex *d. novell.* 117. *cap. ult. verfic. fi vero.*

§. 28. Adulterii pœna fummum fupplicium eft *§.* 4. J. *de public. Iudic. l. transfigere* 18. C. *de tranfact. l. quamvis* 30. C. *ad L. Jul, de adulter.* Olim varia hujus criminis pœna fuit,

 modo

modo enim vivos combustos, modo corpus securi concisum, ut apud Arabes *vid. Marc. de Mantua in Singul.* 117. virum virgis cæsum, mulierem naso mutilatam, virilia amputata, *Joann. Boëm. de morib. legib. & ritib. omnium gentium lib.* 1. *cap.* 5. erutum utrumq; oculum, ut apud Parthos *Marc. de Mantua d. loco.* ab equis discerptos fuisse constat de quibus prolixe *Jodoc. Dambouder in pract. Crim. cap.* 91. *n.* 53. *usq; ad n.* 107. Gens Saxonica, *Jeste Schonborn.* 1 *polit.* 6. adeo detestata est adulteria ut adulteras strangulatas cremarint & adulteros super rogos suspenderint, donec morerentur. Testium suspensione coercebat eos Diogenes & sic delinquentes eo membro puniendos censebat, quo delinquebant. Paucissima in Germania fuisse adulteria testis est *Cornel. Tacitus de morib. Germ.* Eorum verò pœna præsens & maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellebat domo maritus, ac per omnem vicum verbere agebat.

§. 29. Hinc patet ante *L. Jul. de Adulter.* nullam certam pœnam adulterio destinatam fuisse. Ex lege autem Augusti adulterii pœnam capitalem non fuisse, ex eo inquit *Borcholtem. ad* §. 4 *J. de public Judic.* intelligitur quod lex Julia de adulteriis adulterii damnatam testem produci & testimonium dicere vetat. *l. qui testamento §. mulier ff. qui testam. fac. poss. Valent. Forster. in Histor. Juris Civil. Rom. lib.* 1. *cap.* 31. *n.* 31. *versic. adulterii damnato.*

§. 30. Nec movet quicquam (*inquit Harprecht ad §.4. J. de public. judic. n.* 79) si instaret quispiam leges à testimonii dictione repulisse adulteros eum in casum quo damnatis iis gratia facta fuit: Etenim casus iste esset singularis qui rarò contingit & quem contingere leges non optant; sed de iis casibus conceptæ sunt leges qui ut plurimum contingere solent *l.4. ff. de ll.*

§ 31. §. 4. J. *de public. judic.* quod attinet ubi Justinianus ait ex L. Jul. adulteros gladio puniendos esse. Resp. aliquando fieri ut Imperatores pœnas suo tempore usitatas ipsis legibus, quibus initio delicta aliqua vindicata fuerunt

runt

runt, adscribant. Ita *Bachov. ad Treutl. d. disp. 32. th. 2. L. D. Harprecht d. loco n. 80.*

§. 32. A Constantino igitur & Constante Impp. primum statutum ut nuptiarum sacrilegi gladio puniantur *d. l. quamvis 30. C. ad L. jul. de adulter. Treutl. vol. 1. disp. 7. th. 5. L. C. Dom. Arum Exercit. ult. th. 36. in fin.*

§. 33. Eam tamen Imperator Justinianus, quem ob id uxoreum vocant, primum mulieribus mitigavit sc. verberatas eas in monasterium detrudi jubens. *Novell. 134. Auth. sed hodie C. ad L. Jul. de adulter.* quas tamen intra biennium recipere viris licebat *d. auth. sed hodie.* Ratio differentiæ cur putarit Imperator Justinianus lenius agendum cum fœmina quam mare est infirmitas & fragilitas sexus: per quam fit, ut facilius in adulterii crimen mulier quam vir prolabatur. *Est enim*, inquit *Matth. Stephani ad Const. Crim. Carol. V. artic. 120. mulier mala merx quæ cito corrumpitur.*

§. 34. Recte tamen ab hac pœna recessum, partim quia monasteria non ita sunt in usu, præsertim in locis reformatarum Ecclesiarum; partim quia non decet, quod adultera quæ per legem divinam lapidabatur, nunc in monasterium ad corrumpendas sacras moniales detrudatur. Nec enim incorruptus permanere potest, qui corruptis sociatur. *C. quisquis. 23. q. 4. Ioann. Baptist. Bajard. ad Iul. Clar. §. adulterium n. 50.*

§. 35. Post Justinianum Leo Imp. constituit, ut adultero & adulteræ nasus abscinderetur. *Nov. Leon. 32.* Hinc *Martialis 3. Epigr.* eundem deridet hic verbis.

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?
Nil hac peccatum est parte marite tibi.

Sed fortean hæc dari potest ratio, sc. ut ob deformitatem amatores eam relinquant, *Ioann. Baptist. Bajard ad jul. Clar. d. loco n. 47. Ioann. Boemus d. loco inquit:* mulier naso mutilabatur, quo dedecore vultus maculatus, ea multaretur parte, qua maxime facies exornabatur.

§. 36. Hisce temporibus passim fere apud omnia tribunalia adulteri evadunt. Imo quod maxime dolendum, de ipso crimine gloriantur. Illi verò quorum uxores adulteræ sunt, accusationem proponere non audent, ne in perpetuam infamiam, volente sic prava consuetudine, incurrant. *Iulius Clarus d. loco n. 7.* Adde quod adulteri, dum accusant, à Judicibus derideri soleant. *Bajard. d. loco n. 59.* propterea quod & ipsi eo aliquando contaminati sint. *Jodoc. Damhouder. in pract. sua Crim. cap. 91. n. 5.* Deus tamen impunitum non relinquit, quod justitia non punit. Aureliæ hujus modi exemplum contigisse testis est sæpe allegatus *Iodoc. Damhouder d. loco cap. 91. n. 20.* in ea civitate Alemanus juvenis proceri corporis, cute nitida, facie formosa & blandula, totoq; corpore amabilis à multis matronis amabatur, quarum una mercatrix pannorum sericorum eundem per pedissequam sæpe compellare jussit, & sæpius in templo atq; eundem invitare ad repotia nocturna, dicens: si ipsi placeret ut Heram suam subinde inviseret, futurus ei gratus, & quod cum ea citra suum incommodum voluptaretur. Eadem itaq; pedissequa post pauculos dies eundem in templo secretò convenit & dixit: vesperi erit oportunum, nam herus noster profectus est Parisios. Quo circa me eminus sequere, & ubi me intrantem conspexeris, ibi vesperi pulsabis, astabo ipsa tibi apertura ad ostium. Hic Alemanus memor hujusmodi oblationis in crepusculo domum adiit, pulsavit leviter ostium, inducitur, ubi paratum reperit symposium, mox ab ancilla vestibus exuitur, monstratur lectus plane regalis, cui incumbit dicta bellula matruncula, cedit ancilla, itur cubitum, ibiq; reperit suam amasiam. Postridie eadem pedissequa cubiculum intrat, heram excitat, surgere jubet, ne herus forsan inexpectatus eos in opere tali comperiat & opprimat. Surgitur itaq;, jentatur splendide, & talis Athleta pro munere & re benè gesta donarium à sua accipit holosericam crumenulam, cui octo inseruerat coronatos aureos solares. Hanc rem is commemoravit uni suorum sodalium, qui tam facetum actum ridens,

camus,

eamus, inquit, ad eandem & emamus ab eâdem aliquot ulnas holoserici. Placuit consilium, eunt eodem, reperiunt in taberna mercatoria, maritum præsentem, salutant uxorem, quæ vultum habebat in manu & se bellè componere norat, poscunt holosericum pro thorace, proferuntur varia, uxor jubet maritum elegantiora ferre è penitiori cubiculo domus. Dum is ad ea se ferenda recipit, uxor quatuor ulnas abscindit & pecuniam reddit. Interim maritus redit cum tribus vel quatuor sarcinulis, jubet uxor reportare, quod conventum esset inter ipsos dicit sibi solutum esse, & se pecuniam in capsulam argentariam immisisse. Reportat maritus holoserica: Redeunt salutata uxore emtores cum holoserico. Hic vero Alemanus post paucnlos menses stans præforibus suis nihil mali suspicans, ab impurissimo invaditur lenone & sine ulla verborum controversia pugione confoditur. Quo circa metuat quisq; judicium divinum & vindictam, tametsi ad sua convitia justitiam connivere cognoverit. Hactenus ille.

Caput Secundum

DE STUPRO VOLUNTARIO ET VIOLENTO.

STuprum est virginis vel viduæ honestæ viventis illicita defloratio *l. inter liberas §. 1. l. stuprum 34. ff. ad L. Jul. de Adulter. l. inter. stuprum 101. ff. d. V. S. l. 3. C. de concubin. c. lex illa 36. quæst 1.*

§. 1. Dixi honeste viventis. Nam in velibus & corruptis stuprum non committitur *l. 25. & ibi Gothofr. C. h. t.* Stuprum enim privatio honestatis est ac pudicitiæ. In tali autem prostibulo nulla honestas, nulla pudicitia est. Ergo nulla quoq; ejus corruptio sive privatio. Privatio namq; præsupponit habitum *arg. l. manumissiones 4. ff. de Just. &*

& Iur. Petr. Gilcken in auth. si testes C. de testib. n. 4. Jacob. Cujac. lib. 3. obs. 18. Joann. Gadd. ad l. 101. ff. de V. S. n. 9. Proindeq; pœna stupri locũ non habebit *l. si uxor. §. 2. ff. h. t. Wesenbec. in parat. ff. h. t. n. 21. Joach. Scheplitz. ad Consuet. Brandenb. part. 1. tit.* Von etlichen Fällen in Ehesachen. *§. 2. n. 2. Ludovic. Gilhaus in arb. Judic. Crim. cap. 2. tit. 21. n. 1. Iulius Clarus § fornicatio. n. 2.*

§. 2. Christianus tamen magistratus, quod per se malum & contra honestatem & verbum Dei est, impunitum non relinquet. Et jam pridem contra eos, qui majoris mali evitandi prætextu lupanaria defendunt, objectum est illud Pauli: Non esse facienda mala, ut eveniant bona. *Bachov. ad Trent. d. disp. 32. Th. 3. L. B. Petr. Greg. Syntag. Juris Univ. lib. 36. cap. 11. n. 3. ubi Jas. scelestissimum vocat pio sane zelo ductus, propterea quod imitari voluerit hac in re Ethnicos.* Hinc *Paulus 1. ad Thess. 4.* inquit: *Hac est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisq; possidere vas suum in sanctificatione & honore, non in affectu libidinum, sicut gentes.*

§. 3. Esto in quadam Republic. tolerari lupanaria; anne in iis degentes a Judice cogi possunt ad portandum signum, ut per hoc ab honestioribus cognoscantur? ita puto per *l. minime & ubi Bald. C. de Episc. Audient.* Per habitum enim bonæ à pravis, Clerici à laicis distinguuntur, ut in fabro & aquarum custode *l. stygmata C. de fabr. l. pen. C. de aqua duct. lib. 11. Tertull. lib. de cultu* refert Romanis legibus impudicas mulieres à matronis ornamentis distinctas fuisse. Apud Athenienses florida erat vestis meretricia *Gothofr. ad L. item apud Labeonem §. si quis virgines ff. de injuriis. Tiber. Decian in Tract. Crim. lib. 8. cap. 7. n. 10.* Thamar à Iuda pro meretrice dijudicata est *Gen. 38.* qualiscunq; enim quis extrinsecus videtur talis judicari potest. *l. si ignorans 50. ff. locati.* Sed forsan hodie non invenirentur tot signa, si omnes vellemus signare. Cum ex omni tribu interius non exterius comperiantur signatæ *Neviz in sua Sylv. nupt.*

§. 4. Quæ autem jure meretrix dici mereatur, controvertitur inter Dd. Et illam meretricem esse, quæ non duos

tantum

tantum sed plures admisit quæstus causa plerique opinantur, seu ut loquitur textus in *C. meretrices*. 32. q. 4 quarum turpitudo publice venalis est. Ergo è contrario sensu quæ propter amorem, non propter pecuniam sui copiam facit, meretrix dicenda non erit ita *Dn. Arnold. de Reyger in Thesaur. Juris L. M. versic. de Meretricibus. Gl. in C. vidua est dist.* 34. vult eam esse meretricem, quæ plures admisit quam 23000. viros, quam sententiam tanquam ridiculam & ineptam rejicit *Dn. Carpzov.* qui eam vocat meretricem, quæ palam & passim se prostituit, licet non faciat quæstum. Et hæc opinio firmatur *d. c. vidua est ibi. meretrix quæ multorum libidini patet.* Unum verò admittens, licet honesta non sit, meretrix tantem non est *Prosp. Farinac. in Pract. Crim. lib. 5. tit. 16. quæst. 126. n. 85. & seq.* Facile tamen; teste *Petr. Greg. Synt. 36. cap. 9. n. 4.* quæ unius non erubescit vetitum complexum, in plurium paulo post venit concubitus, paulatim excusso pudoris fræno.

§. 5. Est autem stuprum aliud voluntarium aliud violentum. Voluntarium stuprum consentiente vel parum reluctante virgine vel vidua committitur. §. 4. *J. de public. Judic.*

§. 6. De jure divino & canonico stuprator vitiatam & dotet & ducat. *Exod. 22. versic. 16. Deutr. 22. versic. 28. & seq. cap. 1. & 2. Extr. de Adulter.* Sed copulativa ET resoluta est in alternativam, ita ut ducat aut condecenter dotet, & ita servari in practica testatur *Julius Clarus §. stuprum n. 3. Dn. Benedict. Carpzov. in pract. Crim. part. 2. q. 68. n. 6.* nisi stuprator fidem dederit de matrimonio, tunc enim eam ducere & promissis stare tenetur. *Dn. Carpz. in Prax. Crim. p. 2. q. 28. n. 91. Nobil. atq; Magnificus* Dn. *Doct.* Richter *p. 2. Decis. 88. n. 3. Dn. Anton. Perez. in Prælect. C. h. t. n. 52. Joachim. à Beust. de sponsalib. lib. 1. cap. 27. sub. fin.* Et siquidem de promisso matrimonio liquido vel ex confessione stupratoris & aliis claris probationibus nondum constet, ei juramentum purgationis defertur *Schultz in Synops. J. de public.* Judic. *Et ita consistorium Lipsense pronuntiasse Anno* 1614. 1. Jul. *test. Berlich. p. 5. Concl. 38. n. 88.*

§. 7. Quan

§. 7. Quantitas verò dotis an solvenda sit secundum qualitatem & facultates stupratoris, an verò secundum nativitatem, dignitatem & facultates stupratæ puellæ non levis est controversia inter Dd.? Placet mihi sententia *Wesenbec. in παρ. ff. ad L. Jul. de adulter. n. 21.* qui putat eam quantitatem solvendam esse quam dedisset in dotem verisimiliter stupratæ pater. *Paul. Cypræus in tract. de sponsal. cap. 10. §. 10. n. 7.* ubi testatur à Scabinis Lipsensibus ita pronunciatum fuisse. *Schultz in Synnops. J. d. public. Iudic.*

§. 8. Tenetur autem stuprator hanc dotem mulieri stupratæ solvere statim post stuprum illatum. Neq; enim necesse est ut expectetur tempus nuptiarum ipsius puellæ. Tum quia pœna est, tum quia fieri posset ut mulier stuprata nunquam inveniret virum, & ideò stuprator remaneret impunitus, quod sane iniquissimum esset.

§. 9. Cæterum si constet puellam occasionem dedisse stupratori ad committendum stuprum, forte quia sponte ad virum accessit vel aliter blandis verbis & aliis modis ad stuprum commovit, tunc neq; ducere, neq; dotare eam tenetur. Pater tamen puellæ stupratæ stupratorem actione injuriarum recte convenire & ab eo æstimationem damni sibi inde provienctis sc. illius pluris quo ob stuprũ illatũ caret, petere potest *Joann. Baptist. Bajard. in Addit. ad Clar. §. stuprum n. 28. Berlich. d. loco n. 32.* stupratori tamen onus probandi incumbit stupratam occasionem dedisse, quia forte sponte ad ejus lectum nuda, causa explendæ libidinis venit; alias semper seducta & decepta præsumitur.

§. 10. Stupri quoq; pœna cessat, si post stuprum illatum ab alio cognita fuerit, hoc tamen non præsumitur, ideoque stupratori onus probandi incumbit. *Magnific. Dn. Doct.* Richter *d. loco n. 22.* Sic stuprator asserens puellam non fuisse virginem tempore, quo cum ipso concubuit probare hoc tenetur *Jul. Clar. §. stuprum n. 4. Ludovic. Gilhaus in arb. Judic. Civil. cap. 6. p. 7. §. 183. n. 1. & in arb. Judic. Crim. cap. 2. tit. 21. n. 7.*

§. 11. Sed

§. 11. Sed quid si stuprata cum stupratore matrimonium inire recuset & cum alio contrahat? Et ne quidem ad dotationem eum astringi verius est. Stupratoris enim arbitrio cogente magistratu relictum est, eligere, num dotare an ducere malit. *Jodoc. Dambouder in pract. Crim. cap. 94. n.6. Et ita pronunciatum fuisse Anno 1623. mens. Febr. testatur Dn. Benedict. Carpzov. in Jurispr. Forens. p. 4. Const. 27. Defin 1.*

§. 12. Ex jure civili poena voluntarii stupri, stupratores si honesti sint, dimidiæ partis bonorum ademtio est; Sin humules corporis coercitio cum relegatione *d.* § 4 quæ tamen poena per jus Canonicum correcta, ita, ut etiam in terris imperii strupator non alia plectatur poena, nisi ut stupratam ducat vel dotet *Berlich d. loco n. 7. Colez. Decis. 176. n. 87. & seq.* Vera tamen hæc sunt si contra stupratorem civilis actio instituatur: Secus se res habet si criminaliter agatur puta quia pater & consangvinei, puellam stupratā in matrimoniam dare, vel dotem ab eo accipere nolunt. Vid. *Joann. Harprecht. ad d.* §. 4. *J. de public. Iudic. n. 91.*

§. 13. Tutor verò qui pupillam quondam suam stupravit universis facultatibus ejus fisco applicatis deportatur *lunic. C. si quis eam cujus tutor. Petr. Greg. Tholos. in Synt. Iur Univers. lib. 36. cap. 9. n. 5. Iohann. Althus. in Dicæolog. lib. 1. cap 125. n. 25.* Turpius enim struprum in tutore est, cui mores puellæ informandi tuendiq; boni commissi sunt, qui si id committat, non tutor sed proditor pupillæ est *Iacob. Cujac. in παρ. C. si quis eam cujus tutor. Iodoc. Dambaud. in Pract. Crim. cap. 92.* Tanto id scelus gravius est, *inquit Imperator Leo in Nov. 34.* quanto illorum fides ab iis, qui id ipsis injunxerunt, major judicata est.

§. 14. Commentariensem venerem exercentem, cum custodia sibi commissa eâdem poena puniendum esse putat *Iacob. de Bello Visu in Pract. Crim. rubr. de quæstion. n. 133.* quem sequitur *Petr. Greg. Tholos d. loco n. 10. ubi rationem habet: Cum enim eam, inquit, ab aliis custodire debeat multo magis â se ipso debuit fidei suæ commissam intactam reliuquere.* Sed rectius hoc ipsum arbitrio judicis relinqunt *Iulius Clarus* §. *stuprum Iohann.*

bann. Althus. d. loco n. 26. & Matth. Berlich. p. 4. concl. 36. n. 17. Casus enim hîc â jure decisus non est nec pœnâ certa expressa. Constat autem casus à jure non decisos relinqui judicis arbitrio *l. 1. ff. de jure de lib.* Nisi incarcerata sit uxor aliena. Hoc enim casu ordinaria adulterii pœna tenetur, cum enim custos hac teneatur, si eam extra carcerem cognovisset, multò magis eâ puniendus, si eam incarceratam adulteret, siquidem & mulierem & carcerem publicum locum violat *Prosp. Farinac. Pract. Crim. Lib. 1. tit. 4. 31. n. 11. ubi n. 123.* prædicta extendit ad publicam meretricem. Rationem habet *Berlich. p. 4. concl. 36. n. 5.*

§. 15. Servus dominam suam stuprans igne concrematur: mulier capite mulctatur *l. 1. C. de mulierib. quæ se propr. serv. immisc.*

§. 15. Dictũ fuit quod stupratã stuprator vel ducat vel dotet. Sed quid si ex stupro illato fœmina prægnans pariat, quisnam partui alimenta præstare tenetur? Et teneri patrem expresse patet ex *l. nec filius 9. C. de patr. potest. c. cum haberet 5. sub fin. versic. solicitudinis Extr. de eo qui dux. in matrim.* Neq; enim fas est patrem bis peccare semel suscipiendo sobolem ex illicito complexu; deinde sobolem sic conceptam fame necare *Frideric. Balduin. p. m. in casib. Conscient. lib. 4. cap. 14. cas. 2 in fin. Magnific. Dn. Doct. Ioann. Koppen Decis. Consuetud. March. part. 4 tit. XI L. D.*

§. 16. Et siquidem alius vel ipsamet mater præstet alimenta, pater tenetur reficere actione negotiorum gestorũ *l. si quis a liberis §. si mater ff. de liber. agnosc. Dn. Arnold. de Reyger in Thesaur. Iuris L. A. versic. de Alimentis 181.* Quæ verò nomine alimentorum veniant, explicatur in *l. verbo victus 43 de V. S.* Scilicet quæ esui, potui, cultuiq; corporis, quæve ad vivendum homini necessaria sunt: Ut habitatio, vestes, Vid. *ad d. l. verbo victus Iohann. Gœdd. & Matth. Stephani item Dn. Arnold. de Reyger d. loco n. 184.*

§. 17. Mater tamen ipsa infanti ad triennium alimenta præbere cogitur; hujus rei hanc habent rationem, quia natura ideo matrem uberibus sufficienti lactis copia turgen-

tibus

tibus instruxit. Hoc triennio elapso cetera cura ad ipsum parentem spectat *d. l. nec filium C. de patr. potest.* Hinc versiculi

Mater alit puerum trium, trimoq; minorem
Majorem vero; pascere patris erit.

Hæc tamen non ita accipienda ac si parens intra illud tempus nullos plane sumtus subministrare teneatur; sed secundum *Berlichium* ad alimenta lactis erunt restringenda, ita ut parens nihilominus ad alimenta, si infans intra triennium delactatus & à mammis depulsus fuerit, teneatur, vel etiam alios sumtus si qui præter lactationem desiderantur, suppeditare debeat.

§. 18. Cæterum si pater sit pauper ut nullo modo infanti de alimentis prospicere possit mater eum alere tenetur, ne alimentis destitutus pereat *Marcus de Mantua Singul.* 1. *n.* 6. *Dn. Carpzov, in Iuris pr. Forens. p. 4. const. 27. defin. 11. ubi Anno 1611. Ita pronunciatum fuisse refert.*

§. 19. Alimenta quoq; non debentur filio filiæve qui quæve ipsi alimenta parare & suis operis acquirere potest. *l. si quis §. sed si filius ibi: cum opificem te esse dicas ff. de agnosc. & alend. liberis. Berlich. p* 5 *Concl* 38. *n.* 43 *Sigismund.* Finckelthaus *Obs. 102. n. 19. Magnific. Dn. Doct.* Richter *d. loco n.* 37. *Marcus Anton. Peregrinus d. loco n.* 74. *& seq.* Puero igitur duodecim annorum, quia idoneus & aptus jam videtur ad opificium & sic sibi victum parare potest, alimenta non debentur. Idem est in puella, æq; enim & illa ad servitia post 12. annum adhiberi potest. Et ita pronunciatum fuit à Facultate Juridicâ Lipsensi Anno 1613. d. 29. Decembris. Dieweil sie die Leibesfrucht von euch empfangen/ so seyd jhr dem Kinde Unterhalt/ biß daß es 12. Jahr seines Alters erreichet zu geben/ oder selbst solches zu euch zu nehmen vnd zu alimentiren verpflichtet.

§. 20. Denegantur quoq; filio alimenta ob ingratitudinem. Nam ex quibus causis filius exhæredari potest, ex iisdem etiam ei alimenta denegari possunt. *l. si quis à liberis*

§. *item judex ff. de ag. & al. lib.* Neq; hoc contra naturam est, quippe ut natura æquum est filium editum in lucem alere *l. 1 §. jus naturale ff. de Inst. & jure Philipp. Decius ad l. jura sanguinis n. 2. ff. de R. I.* Ita rursum æquum est filium esse memorem sui officii ne paternam pietatem usq; offendat. Ingratitudo enim tollit debitum naturæ. Et rectè pièq; scriptum reliquit *Bernhard.* quod ingratitudo sit ventus urens siccans fontem misericordiæ, rorem pietatis & fructum gratiæ.

§. 21 Alendi quoq; non sunt ex incestuoso coitu nati *Novell. 89. cap. ult. Petr. Gilken ad L. Gallus §. & quid, si tantum n. 254. de post. hared instit.* Quod tamen de æquitate Can. immutatum est *C. cum haberet 5. Extr. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult. Schneidewin. ad pr. J. de* J. *N. G. & C. n. 10.*

§. 22. Violentum stuprum citra voluntatem patientis per vim, promissa aliasq; illicitas artes committitur. *l. 2. fin. ff. de Extraordin. Crim. l. 29. §. fin. l. 39. ff. ad L. Jul. de adulter. l. in eadem §. 4. ff. ad L. Iul. de v. public.*

§. 23. Pœnam ejus summum supplicium esse constat *ex d. l. 1. § fin. Const. Crim. Car. V. artic. 119. ibi.* So jemand einer unverleumbdten Ehefraw/ Wittwen oder Jungfrawen mit Gewalt und wieder jhren Willen jhre Jungfr. oder frewliche Ehre nehme / derselbe Ubelthäter hat das Leben verwircket ꝛc. Nec immerito. Si enim ob furtum rei temporalis jure aut consuetudine in crucem fures subripimus, inquit *Jodoc. Dambaud. in pract. Crim. cap. 94 n. 41.* quo quæso supplicio afficiendi sunt qui virgini florem & virginitatem, thesaurum incomparabilem omnibusq; divitiis præferendum violenter eripiunt? *Dn. Carpzov. in Pract. Crim. p. 2. quæst. 75. n. 4. Matth. Stephani & Bernhard. Zieritz ad Constit. Crim. Carol. V. artic. 119. Virgil. Pingiz. q. 3. n. 2. Magnific. Dn. Doct. Iohann. Koppen p. m. ICtus clarissimus Decis. Consuetud. March. p. 4. tit. XI. L. E.* Et hæc ultimi supplicii pœna extenditur, etiamsi post illatam vim virginis consensus & voluntas interveniat *Ludovic. Gilhaus in arb. Judic. Crim. cap. 2. tit. 22. n. 3.*

§. 24. De

24. De jure Saxonico non solum in honesta muliere vel virgine, sed etiam in publica meretrice stuprum per vim commissum morte punitur, per *text. in* Landrecht *Lib.* 3. *artic.* 46. *Suchlz. in Synnops. J. de public. Judic. Dn. Benedict. Carpzov. in Jurispr. Forens. part.* 4. *Const.* 30. *defin.* 3. *n.* 5. *ubi ita Scabinos Lipsenses Anno* 1622. *mens. April. pronunciasse refert.*

§. 25. An autem per vim stupratæ coronam in capite portare liceat quæritur? Resp. quod non. Corona enim virginitatis indicium est, quæ non in animo, sed in corpore consistit, qua semel amissa, nunquam reparatur *l. unic. C. de rapt. virg. Hinc Hieron. in cap si Paulus q.* 5. audenter, inquit, loquar, cum omnia possit Deus, suscitare virginem post ruinam non potest *Dn. Carpzov. de loco. n.* 79. *& seq. l.* hinc versiculi

Sunt tria quæ nunquam possunt amissa redire
Tempora, virginitas verbaq; dicta semel.

Dissentit Pfeil *Consil.* 147. *Cent.* 2. Cujus verba hæc sunt. Diesem allen nach halte ich darfür / das die Magd / so von den Buben mit Gewalt ins Korn gerücket / genotzoget / vnd beraubet ist / nicht weniger denn ob solches nicht geschehen / in Jungfr. Schmuck mit den Krantz offentlichen gehen vnd nicht als eine geschwächte Dirne oder Hure mit dem Schleyer gedecket werden möge.

§. 26. Videbimus num consilium rationi congruat. Communiter distinguunt inter virginitatem animi & corporis. Virginitas animi propriè dicitur pudicitia, quæ tam virginibus quam honestis viduis & milieribus competit, & hæc per violentiam quandam adimi non potest: animus enim vim extrinsecam pati non potest *Tiber. Decian. Tract. Crim. lib.* 8. *cap* 15. *n.* 5. Corporis verò virginitas pudoris integritas & corporis incorrupti est, quæ omnio per compressionem violentam aufertur *C. illæ autem familia* 32. *q.* 5. *ibi quod potuerint animo non amittere, doleant se vel corpore perdidisse.* Hinc *Liv. l. Dec. l.* refert jusjurandum a L. Bruto ob Lucretiam violatam factum in hæc verba: *Per hunc castissimum ante regiam injuriam sangvinem juro*

vosq;

vosq; Dij testes facio me L. Tarquinium superbum cum scelerata conjuge & omni liberorum stirpe, ferro, igni quacunq; de hinc vi possum exacturum, nec alium quemcunq; regnare passurum: Ubi castissimum sangvinem vocat ante injuriam regiam. Quæro igitur an sertum sit indicium virginitatis animi an corporis. Animi virginitatis quam, ut dictum, pudicitiam vocant, indicium non est, propterea quia nec viduæ nec mulieres conjugatæ jus portandi coronam habent; sed caput peplo tegere coguntur. Ergo corona erit indicium virginitatis corporis, quæ cum nostro casu sit amissa, utiq; ipsi coronam portare non licebit. Et ita, teste *Dn. Carpzov. d. loco n. 83. pronunciatum fuit. Anno 1552. Mens. Octobr. item Anno* 1608.

Caput Tertium
DE CRIMINE CONTRA NATURAM

De hoc crimine utinam sermo non haberetur, quia loquẽdo aer inficitur secundum *Bald. in l. cum vir nubit C. ad L. Jul. de adulter.* qui hanc legem (teste. *Francisc. Vivio lib. 1. Decis. 86. n. 8*) noluit legere ob detestationem tam horribilis & nefandi Criminis. Et dicitur Sodomia à Sodomis, quos ob id crimen igne & sulphure consumtos esse, patet ex *Gen. cap 19. vers.* 4. quod criminum venereorum omnium gravissimum, fœdissimum, & jure divino pariter & humano detestabilissimum, vocat *Dn. Carpzov. in pract. Crim. p. 1. q. 26. n. 1.* In quo sexus perdit locum, ubi scelus est id quod non proficit scire, ubi venus mutatur in alteram formam, ubi amor quæritur nec videtur *d. l. cum vir nubit.*

§ 1. Primam verò Speciem Sodomiæ committere eos dicunt Dd. qui secum venerea secreto exercent nimsi quis propriis manibus aliove instrumento se polluat. Quod crimen Latini mastuprationem vocant, & grave peccatum nuncupant.

cupant. Et punitur pœna exilii, aut alia extraordinaria *Jodoc. Dambouд. in Pract. Crim. cap. 98. n. 6.*

§. 2. Secundam dicunt speciem esse beluinum istum furorem in eodem sexu; sc. quando masculus carnaliter cognoscit masculum *d. l. cum vir nubit constit. Crim. Carol. V. artic.* 116. *ibiq; Dn. Bernhard. Ziertz. & Matth. Stephani Tiber. Decian. vol. 3. Consil. 83.* Aut quando mulier venerem exercet cum muliere. *Dn. Carpzov. in prax. Crim. p. 2. q. 76. n. 17. Matth. Stephani d loc. Johann Althus. in Dicaolog. n. 12. lib. 1. cap. 127.* In Sexu diverso contingit, cum quis abutitur venere non in membro debito, qua de re *vide Jodoc. Damboud. d. loco n. 33.* Aut debito, quidam membro, ast præpostere *Tiber. Decian. d. loco* & gravius peccatum vocant. Me tamen latere quomodo hi modi peragantur lubens fateor cum *Johann. Köppen lib. 2. Obs. 127. n. 2.* sufficit novisse puniendi rationem.

§. 3. Tertiam speciem Sodomiæ faciunt, cum quis cum brutis venerea exercet. *Johann. Althus. d. loco n. 14 Lev. 20. vers. 15.* gravissimumq, peccatum esse non immerito asserunt *Dn. Carpzov. d. loco n. 20. Gothofr. ad l. 6. ff. h. t.* ubi brutescere eos dicit, qui se hoc Crimine contaminant. Hoc facinus per Italiam, teste *Carpz d. loco n. 3.* notissimum est, adeò ut nec puduit Johannem Cassum ArchiEpiscopum Beneventanum Legatum Pontificium hoc laudibus celebrare.

§. 4. Addi hisce possunt non nulli alii monstrosi & bestiales concumbendi modi. I. quando cognoscitur lateraliter, ut loquitur *Jodoc. Dambaud. in Pr. Cr. cap. 98. n. 32.* II. Pejor quando cognoscitur sedendo. III. Pejor secundo, quando cognoscitur stando. Pessimus verò & IV. quando cognoscitur veluti bestia tergetenus.

§. 5. Delicti hujus pœna summum supplicium esse nemo negabit. Si enim pœnæ conformes esse debent delictis suis *l. respiciendum l. capitalium § grassatores ff.*

de pœnis. Utiq; hoc crimen, utpote contra naturam, commissum, morte puniendum. Tam de jure *Divino Lev. 18. vers. 26. & seq. Rom. 1. versic. 26. & seq.* Quam Civili §. *item lex Julia. versic. sed & eos J de public. Judic. d. l. cum vir nubit, ibi: jubemus insurgere leges armari jura gladio ultore* Ex *Constit. Crim. Carol. V. artic.* 116. Comburuntur. *Vid. Nicol. Reusner. tract. de testam. p. 2. cap. 51. n. 3. vol. 1.* Quæ pœna vel ideò delicti hujus atrocitati convenit, quod Sodomam & Gomorrham urbes præ aliis hoc crimine pollutas ignis cœlitus dilapsus deleverit. *Dn. Bernhard Zieritz ad artic. 116.*

§. 6. Et extenditur hæc pœna etiamsi cum propria uxore præpostera venus exerceatur *Ioann.* Koppen 2, *Obs.* 127. *n.* 2. ubi contra naturam consuetudinem cum uxore habenti gladii pœnam dictatam fuisse testatur. *Julius* Clarus §. *Sodomia n.* 2. refert ex *Ant. Gomes*, quod in oppido Talaveræ sit combustus quidam qui contra naturam propriam uxorem carnaliter cognoverat.

§. 7. Nec operis quidem consummationem requiri aut seminis ejaculationem, sed sufficere voluntatem actui proximam, ita ut rem perfecisset, si potuisset forte quia aliquod impedimentum intercessit, putat *Iodoc. Damboud. d. cap.* 96. quem sequitur *Hieron. Treutl. d. disp. 32. th. 2. L. A.* Rectè tamen dissent. *Julius Clarus d.* § *Sodomia n. 8. Dn. Pe r. Theodoric. in* Colleg. *Crim. disp. 6. th. 6. Dn. Carpzov. d. loco n. 58. & seqq. ubi im Sabinos Lipsenses pronunciasse testatur. Hunnius ad Treutl. d. disp. 32. th. 2.* ubi dicit extraordinariè esse puniendum affectum, si effectus non sit subsecutus nim. fustigatione, perpetua relegatione vel consimili.

§. 8. Præter dictam ignis pœnam testamentum Sodomitæ, etiam ante sententiam condemnatoriam conconditum, nullo modo valet, cum ipso jure infamis & intestabilis sit. *gl. in* §. *testes autem verb. intestabilis J. de testam. ordin. Nicol. Reusnerus d. loco n. 5.*

CAPUT

CAPUT QUARTUM

DE INCESTU.

EST profecto hoc crimen incestus tam detestandum & abominandū, ut bruta illud animalia aversari dicâtur *Plin. Histor. Naturl. cap. 32. Lib. 8. Novel. 12 cap. 1.* Regi Scytharum equa fuit egregia ex quâ mares generosi nascebatur omnes. Aliquando unus qui reliquis præstantior habebatur, matri fuit admissus, ut ex ea procrearet, sed id facere recusavit. Postea matrem opertam imprudens supervenit, & ubi à concubitu faciem matris detectam agnovit, prærupta petiit, & exanimatus fuit. *Boraholten ad §. Ergo non omnes J. de nuptiis n. 4.* refert ex *Iohann. Lup. tract. de matrim.* equum quendam matrem adopertam compressisse, & matre cognitâ, reclinato capite genitalia sibi amputasse.

§. 1. Est autem incestus [sic dictus secundum *Joann. Baptist Bajard. in Addit. ad Jul. Clar. §. incestus n. 2.* quasi in illis, qui committunt incestum minime sit cestus, id est, cingulum illud, quo Venus utebatur ad honestas nuptias] stuprum in personas sanguine & affinitate junctas commissum, quæ ex prohibitione juris, matrimonium contrahere nequeunt.

§. 2. Pœna hujus delicti mors est *Lev. 20. versic. 11. & seqq. l. 38. in pr. ff. ad L. Jul. d. Adulter. Constit. Crim. Carol. V. artic. 117.* Præsertim si inter ascendentes & descendentes committatur. *Treutl. vol 2. disp. 6. th. 4. L. A. & B. Schotan. in Exam. juridic. hic Wesenbec. in παρ. ff. h. t. n. 22. Matth. Coler. Decis. 174. n. 7. Matthias Stephani ad d. artic. 117.* Et quidem in infinitum *Bajard. d loco Johann. Koppen obs. 126. n. 9.* Et siquidem cum matrimonio bona fisco adjudicantur *auth. incestas C.*

 de

de incest. nupt. qui etiam mortuo delinquente ea ab hærede petit. *Treutl. d. disp. 6. th. 4. sub L. B. & ibi alleg. Dd.*

Caput Quintum Et Ultimum

DE CRIMINE RAPTUS.

RAptus est virginis, viduæ, monialis aut aliæ honestæ mulieris per vim abductio. *C. raptus 27. q. 2. c. lex illa. 36. q. 1.*

§ 1. Dico honestæ mulieris: quibus verbis omninò meretrices excludo, ita ut rapiens non teneatur ordinaria pœna in *d. l. unic. C. de rapt. virg.* expressa: jus enim civile raptores honestarum virginum & viduarum ultimo supplicio affici jubet, ideo à contrario sensu concludendum erit, si meretrices fuerint raptæ, locum non habere legis hujus dispositionem. *Bachov. ad Treutl. d. disp. 32. th. 3. L. C. Cyn. & Dd. in d. l. unic. C. de rapt. virg. Johann. Harprecht ad §. 8. J. de public. Judic. n. 38. Ludovic. Gilbaus in arb. Iudic Crim cap. 2. tit. 23. n. 5. Tiber. Decian. in tract. Crim. lib. 8. cap. 7. n. 9. Carer. in Pract. Crim. §. circa quartum n. 276. Dn. Bernhard. Zieriz & Matth. Stephani ad Constit. Crim. Carol. V. artic. 118. Matth. Matthesilan. Sing. 101.*

§. 2. Contrarium tamen receptum est in terris Saxon. Nam ibi hoc delictum in meretrice commissum, eadem mortis pœna puniri jubetur Landrecht *Lib. 3. Artic. 1. Constit. Elect. 30. p. 4.* Modo è meretricia vita pedem retulerit & honestè vivere ceperit *Dn. Petr. Theodoric. in colleg. Crim. Disp. 6. th 8. L. C. Bajard. ad Jul. Clar. lib. 5. sect. §. raptus n. 24. Jodoc. Dambond. in pract. Crim. cap. 97. n. 13.* Lex enim non respicit vitam præte-

ritam

ritam; sed præsentem, id est, qualis est tempore raptus. *Hip. de Marsil. in d. lunic. C. de rapt. virg. n. 10. Tiber. Decian. d. loco n. 15.* D*n. Bernhard. Zieriz. d. loco.* Secus ergo erit, quando illa adhuc perseverat in illo vitæ genere. *Petr. Greg. Tholos. Syntag. Juris Univers. lib. 36. cap. 8. n 9.* Lex enim non patitur ulcisci illarum nequitiam, quæ pudorem suum alienis libidinibus prostituunt, & passim venalem formam exhibent. *l. 2.* C. *ad L. Iul. de adulter.* In hoc tamen multum deficere legislatores putat *Andr. de Iser.* quem refert & sequitur *Tiber Decian. in tract.* C*rim. lib. 8. cap. 7. n. 13.* Quia neq; in istas permitti debet violentia. Nam licet permittant leges meretrici, quod prostituat corpus, intelligunt tamen ea volente, non autem ideo concedi debet, ut invita etiam cogi possit, cum sit pessimi exempli. Possum enim tibi vendere rem meam & donare, & tamen non cogor alteri idem facere. Extraordinem igitur hoc casu esse puniendos raptores concludo cum *Tib.* D*ecian. d. l.* vis enim publica illis reverâ infertur, per quam civitas perturbatur, & non semel secuta esse homicidia propter vim, illatam meretricibus testis est Præallegatus *Decian.*

§. 3. Dixi per vim: quæro igitur, anne *d. lunic.* dispositio locum habeat eo casu, quando illa consentit? Resp. affirmative. *per d. lunic §. 2. ibi. sive nolentibus sive volentibus. Constit. Crim. Carol. V. artic 118. ibi.* vnangesehen ob die Ehefr. oder Jungfraw jhren Willen dazu gebe. At sic volentibus fieret injuria? Resp. quod de consensu hic dicitur, cum hoc temperamento accipiendum esse, ut virgo sive mulier non libera plane & pura voluntate, sed dolo & blandis verbis, importunis precibus, muneribus, promissionibus, aliisq; malis artibus, ipsius raptoris persuasa consenserit. Et hoc casu omnino volenti injuria vel vis fieri dicitur. *Ludovic. Gilbaus in Arb. Iudic. Crim. cap. 2. tit. 23. n. 4.* Voluntas enim seducta species est violentiæ. Imò dololosa persuasio plus est quam

violenta coactio *l. 1. §. persuadere ff. de Serv. corrupt Jacob. Cujac. in cap. C. h. t. in fin. Petr. Greg. Syntag. Iuris Univers. lib. 36. cap. 8. n. 3. Tiber.* Decian *in Tract. Crim. lib. 8. cap. 7. n. 7.* Hinc Solon [*teste Plutarcho in ejus vita*] magis punivit eum, qui verbis pellexisset mulierem quam qui vi.

§ 4. Secus verò est, si mulier simplici plane ac libera voluntate assensum suum raptori præbuerit. *Tiber.* Decian. *in Tract. Crim. lib. 8. cap. 7. n. 19 Dn. Anton. Perez in Prælect.* C. *de rapt. virg. n. 3. Marcus de Mantua Singul. 487. n. 2.*

§. 5. Pœna quoq; *d. lunic.* locum non habebit eo casu, quando quis commodioris coitus causa ex camera ad aliam aptiori loco sitam abducit, & super lectum projicit. *Iul. Clar.* §. *raptus n* 1. *Arnold. de Reyger in Thesaur. Juris verb. Raptus fœminæ versic. Et hæc vera sunt.*

§ 6. Ordinariæ quoq; *d. lunic.* pœnæ eum non subjacere puto qui quidem rapuit, stupro tamen non subsecuto *per d. lunic.* C. *de rapt. virg.* ubi dicitur raptorem ab eam potissimum causam mortis supplicio damnandum esse: quod virginitas vel castitas per ipsam sublata, restitui non possit. Quæ ratio cum in non cognita militare nequeat, sed cesset; cessare quoq; debet legis dispositio *Matth. Stephani ad. d. artic.* 118. *Hieron. Treutl. d. disp. 32. th. 3. sub. L.* D. Adhibenda tamen distinctio. Aut enim pœnitentia ductus animum & propositum stuprandi deposuit, & ordinariæ pœnæ raptus locus non erit *Gothofr. ad lunic.* Extraordinariè tamen & quidem *secundum Jul. Clar. & Matth. Stephani d. l.* gravissime puniatur. Aut impeditus quo minus voluntatem suam in effectum ducere potuerit. Et hoc casu non excusandus erit ab ordinaria in raptores statutâ pœna. *Johann. Althus. in Dicæol. lib. 1. cap. 127. n. 7.*

§. 7. Pœna hujus delicti habetur in sæpe allegata *lunica* quam vide.

NOn dubia Alcidæ vis clavæ; atq; inde notatur
Sedibus astriferis insinuare caput:
Nec dubia est KRATZI vis Suadæ; atq; inde meretur
Augustum titulis amplificare decus.
Ille, manu validâ, fusus de sangvine Divûm
Barbara monstrosis contudit ora feris:
Hic, gravibus studiis, clarorum germen avorum,
Barbarie cæsâ, cinctus ovator abit.
Ille per obscuri devectus Tartara Ditis
Thesea Cerbereo vindicat ore ducem:
Hic quoties dubii casus deposcit amici,
Cerbero & accipitri comprimit ora fori.
Jamq; super vulgum longe subvectus, ad astra
Collimat, & patrias vincere tentat opes.
I, supera spondet quos Justinianus honores;
Terminus æterni nominis esto decus.

Clarissimo Dn. Doctorando, Convictori atq; Amico suo honorando, ex animo gratulatur

Erasmus Ungepaur D. & Ordinarius.

DEcrevere Patres gratum Tibi, Chare, triumfum.
Quadrijugo curru, Chare, vehendus ades.
Agmina dispo(sui), præcedat ut ordine longo
victima post hostes percutienda Jovi.
Hostes, quos toties tua fuderat Attica suada,
deniq; captivos, percite Victor, ages;

horrico-

horricomos, cute perspicuâ, quàm Punica Plauti
est laterna, magis Crimina nuda, loquor.
queis rugata caro miseris vix ossibus haret.
tota olim, miror, carnea qui fuerint.
Perge, triumfe, tamen sequitur te turba licenti-
osa magis, findi quàm mea verba volunt.
scilicet in laudes, non in maledicta, licere
qui sibi cuncta putat. Perge triumfe.

Clarissimo Dno. Doctorando
gratulatur
Johannes Thomæ, D.

Jova, juva!

(α.) *J. K. Marchico-Brandeburgicus, Stendalia in Iudicio Electorali Advocatus, Iena An. Ch. 1609. 26. Octobr. V. I. D. promotus.*

(β.) *J. K. V. I. D. & Eques D. Marci, Helenam D.* Heinrici Heideccij *IC. Curia Electoralis Saxon. Assess. & Consiliarii filiam A. C. 1619. 23. Novemb. duxit.*

N*On procul à proprio labuntur stemmate poma:*
Majorum sequitur posteritasq́; gradus:
Matthia, Affinis mihi dilectissime, *Kratze*,
nec non *Iuridici portio* clara *chori*.
Agnatos inter *Ioannes* nomine Kratze (α.)
fulget *Stendalici* splendida *stella poli*.
Huic *Salana Themis* favit, Themidisq; Sacerdos,
Supremumq; dedit jure in utroq; gradum.
Atq; *Ioachimus* sinuosa volumina Juris (β.)
Kratzius evolvit non sine fruge diu.
Pòst Themidis suasu summos *Doctoris honores*
atq; *Equitis Marci præmia* digna tulit.
Hunc Generum *Heinricus* selegit fauſtiter *Heideck*,
atq; *Helenam* clarô sidere junxit ei.
(Electorali qui Consiliator in Aula,
& pars Judicij Municipalis erat.)
Prætereo plures *Kratzorum stirpe creatos*
percelebresq; *togâ*, percelebresq; *sagô*
Horum *Agnatorum vestigia* clara secutus
in studio *Sophico, Iuridicoq; tuo*.
Albana est testis, sacris quæ splendida Musis,
Lutheri Cathedrâ quæq; corusca micat.
Salana est testis, celeberrima Theologis quæ:
Juridicis: Medicis: Philosophisq; Viris.

